

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobs Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO XIV.

PRO SECUNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET EXCELLENTISS. VIRI DN.  
D. MARTINI CHEMNITII.

Tribus constans capitibus,

- I. De vocabulo Missæ.
- II. Quo sensu veteres læturgiam appellarint sa-  
crificium.
- III. Causas abominationis, Missæ Pontificiæ osten-  
dit.

Quæ excutienda

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI,  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFES-  
SORIS in Academia Witebergensi publici, ad  
diem XVI. Novemb. Anno 1603. in Templo  
Arcis Electoralis proponit

MARTINVS SCVLTETI Eppe-  
riensis Pannonius.

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis Anno 1603.





ILLVSTR I,  
 SPECTABILI AC MA-  
 GNIFICO DOMINO, DOMINO  
 GEORGIO THVRZO L. B. DE BETHLEN-  
 FALVVA, Comiti Perpetuo Comitatus Arvensis, Partium Cis-Da-  
 nubianarum Regni Hungariæ Generali, ac præsidij VVyvariensis  
 supremo Capiteo, Pincernarum Regalium per idem Re-  
 gnum Magistro, ac Consiliario Sacr: Rom: Cæs. Re-  
 giæq; Majestatis &c. Domino meo clemen-  
 tifs: ac Patrono munificentifs.

VIRIS ITEM  
 AMPLISSIMIS AC CONSVLTIS-  
 SIMIS DN. IVDICI, COETERISQVE SE-  
 natoribus Regia Liberaq; Reipubl: Epperiensis &c. Domi-  
 nis, ac fautoribus meis submisse colendis

Hunc studiorum meorum, & grati animi obsidem, hu-  
 militer offero, dico, consecro.

RESPONDENS.

CAPVT I.

THESIS I.

**S** Vaniter admodum & artificiosè rhetoricantur Scrip-  
tores Pontificij: Missæ vocabulum nō ab aliquo tan-  
tum seculis in agro Ecclesiæ usurpatum; verum ab  
annis plus MD. usum eius in Ecclesia Christi fu-  
isse. Atq; hinc toti in eo sunt, ut quocumq; in loco apud Patres  
vocabulum illud reperias, statim ad theatricam & mimicam  
suam illud rapiant Missam.

II.

Inter hos autem non postremum sibi locum vendicat Iohan:  
Eckius Monachus, qui in libro de Sacrificio Missæ, Item in Enchi-  
ridio contra Lutheranos Anno 25 supra 1500 adornato, a deo an-  
tiquam esse Missam Pontificiam clamat, ut quæ ab ipsis Apo-  
stolis tradita Ecclesiæq; mandata fuerit, unde etiam eius mentio-  
nem fieri ab Ignatio Apostolorum discipulo.

III.

Verum enim vero, bene habet: non nudo verborum strepi-  
tu sternimur: aliam enim esse mentem Ignatij, aliudq; illum velle,  
ipse originalis Græcus textus indicat.

IV.

Ignatius namq; ubi dochen sine Episcopo celebrandam non  
esse Smyrnesem Ecclesiam docet, Eckius cum interprete eius ad  
Missam illud accomodat, cum potius conuiuium dominicum  
(quod ab excipiendis conuivis dictum; unde δοχῆον recep-  
taculum, conceptaculum) interpretari debuisset. Sicut ipse  
Ignatius verbis immediatè precedentibus seipsum explicat no-  
minando εὐχαρισία, quam postea paucis interpositis appellat  
δοχῆον.

V.

Sic ubi Sozomenus εὐχαρισία & Socrates συνάγει (quod  
cogere seu cœtum congregare interpretamur) habent:  
Interpres Missas facere verit.

A 2

Apud



## VI.

Apud Latinos tamen Patres, non vetustissimos quidem, Missæ vocabulum inveniri ultro largimur; at non eo sensu quo ab adversarijs usurpatur.

## VII.

Missas namq; illi appellarunt, aut officia divinorum Sacramentorum, aut preces Ecclesie publicas &c. seu spirituales fidelium hostias, quæ à Malachia olim prædictæ fuerant c. 1, 11. &c. 333.

## VIII.

Quid igitur præsidij ex vocabulo Missæ habeant vidimus: nimirum apud Græcos ne quidem de hoc exstare; apud Latinos autem in alio illud usu esse.

## IX.

Atq; sic penitus fortalicium hoc, quo Eckius confidit, evertitur.

## CAPVT II.

## I.

Quid autem ex Sacrificij vocabulo, quod apud veteres magno in usu esse fatemur, colligere satagant Pontificij, advertendum est.

## II.

Non autem hic de significatis vocabuli agemus, nec quam late illud pateat, quod in precedente disputat: pro rei necessitate satis tractatum fuit.

## III.

Hoc autem in præsentiarum observandum; ut, quæ genera sacrificiorum veteres in Eucharistia distributione sacrificij appellatione notare consueverint, consideremus.

## IV.

Ac I. quidem usitatum fuit apud eos adferre in cœtibus publicum eleemosynas pro sustentatione ministrorum atq; egenum.

667.  
nium quarum pars consecrata in Dominica Cœna administratione usurpabatur. Hunc veterum morem apud Patres Sacrificij notatione insignire vsitatum fuit, ut videre est apud Cypr: & Aug.

V.

Nec à Patribus solum hoc factitatum esse, sed ab ipsis etiam Apostolis Epist. ad Phil: c. 4, 18. Hebr. 13, 16. indicant.

VI.

2. Quoniam in Scripturis ardentes piorum preces sacrificio comparantur ut videre est Psal. 51, 19. & 21. Psal. 141, 2. Hebr. 5, 1. & 3. Apocalyps. 5, 8. cap. 8, 3. & 4: Patres non secus scripturam loquuti sunt, dicendo: Offero Domino sacrificium pingue, Item: sacrificamus Domino pro salute nostra, & que sunt his similia.

VII.

3. Frequenter etiam in divinis literis gratiarum-actioes celebrantur, ut que Deo grati Sacrificij loco offerantur, hinc illi cœnam Dominicam, seu ut loquebantur ευχαριστια (quod gratam beneficiorum recordationem seu gratam animi significationem reddimus; quoniam pars eius præcipua est gratiarum actio conjuncta cum commemoratione beneficiorum Dei & celebratione) sacrificium appellitarunt, idq; ad imitationem Psal. 50, 14. Psal. 69, 32. Ecclesiastici 35, 1, 2. 3. &c. Hebr. 13, 14.

VIII.

4. Quia Apostolus 1. Corinth. 11, 26. nobis mortem Domini in cœna annunciare præcepit: Hinc in Ecclesia veteri, Eucharistia magnâ & solenni cum prædicatione beneficiorum Dei atq; passionis, mortis & resurrectionis Domini sumentibus distribuebatur. Et cum Paulus totam ministerij actionem Rom. 15, 16. sacrificium appellet; hinc factum ut veteres actionem hanc (quæ præcipua est ministerij pars) quoq; sacrificium vocarint, uti apud Cyrillum videre est.

A 3

Neg.



## IX.

Neq̄, etiam ignotum esse potest pias fidelium actione s in scripturis nominari θυσιας πνευματικας ut 1. Petr. 2, 5. Item λειτουργιας της πίσεως Philip. 2, 17. Vnde veteres de oblationibus N. T. disputantes, enumerant doctrinam puram, dilectionem erga proximum, charitatem, & his similes actiones e fide profectas.

## X.

6: In participatione Cœnae Dominicæ, fideles Ecclesiæ totos corpore & anima sese Deo vovent, & victimarum instar litant ac sacrificant, unde Apostolus: exhibentes corpora vestra hostiam viventem Rom. 12, 1. Item: corpora nostra esse templa Spiritus Sancti, Item membra Christi 1. Corith. 6. 15. & 19. item serva justiciæ Rom. 6. 18.

## XI.

Cum ergo in veterum lectione vocabula Sacrificij, oblationis, λειτουργιας &c. occurrunt, aut vero hæc ex eorum monumentis ab adversarijs obijciuntur, non statim animo dejici debemus, sed quid per illa velint diligenter attendendum, ubi deprehendimus omnia illa ad hæc sex summa rerum genera referri, quæ tamen ne tantillum pro Pontificio illo sacrificio faciunt.

## XII.

Verum enim vero Pontificij advertentes apud Patres Sacrificij vocabulum in ijs, quas annotavimus, significationibus vel sæpè poni: exceptione utuntur, dicentes: posito, Patres usurpare Sacrificij vocabulum pro spiritualibus hostijs; at per hoc non consequi quominus cœna ab ipsis appelletur sacrificium.

## XIII.

Verum quid monstri alant fraterculi animadvertimus: Age! fatemur à patribus hoc fieri: at num sensu Pontificio? Minime vero: non enim illis sacrificium est histrionica & mimica representatio: aliud illi saxum voluunt.



## XIV.

Uigetur rem omnem planius proponamus & ordinem institutum prosequamur, annotabimus etiam quo sensu veteres ipsi actioni Cænae Dominicae Sacrificij vocabulum tribuerint.

## XV.

1. Igitur, quoniam Apostolus actiones, quæ ad ministerium pertinent λειτουργίας atq; ἱεργείας, vocibus indigitat, videtur hoc ipsum à Patribus sæpè usurpatum in actione Cænae Dominicae, propterea nimirum quoniam administratio sacramentorum præcipua sit ministerij Ecclesiastici pars.

## XVI.

Idq; non ob id quod eo modo hostiam Deo offerant quemadmodum Pontificij volunt, sed quod hoc 1. ad imitationem Christi faciant qui N. T. minister fuit 2. quod hostiam consecrent 3. quod sumentibus distribuant: Vnde videre est veterum illam ἱεργείαν non Comicam esse representationem sed preparationem, consecrationem sanctificationem & dispensationem Eucharistici Sacramenti.

## XVII.

2. In communi loquendi consuetudine usitatum est diem in cuius rei memoriam institutus est, eo nomine appellare, cuius similitudinem gerit, ut cum pro Resurrectionis die dico: hodie est dies Dominicus vel resurrectio Domini, Item: hodie natus sum, quod non ita accipitur ac si hodie primum natus esses, & Christus resurrexisset: sed quod ante annos plus 1000 &c. tale quid eo die acciderit.

## XVIII.

Propterea veteres etiam hunc retinentes loquendi modum, ipsum Eucharistia Sacramentum ob peracti jam pridem sacrificij memoriam ἱεργείαν, & λειτουργίαν appellitarunt.

## XIX.

3. Deniq; veteres Eucharistiam ab effectu qui consequitur sacrificiam appellitare consueverunt. Sicut enim Passio Christi  
ad



ad omnes homines in genere consideratos effectum habet nimirum consequenda salutis aeternae: ita in specie etiam correlatè sese ad quodlibet individuum fide praeeditum habet, & quemadmodum illi si credituri sunt, certò aeternam consequentur salutem, hoc non minus de te etiam tibi polliceri audes.

XX.

Ibi consideratur Christus ut conferens & offerens hoc medium hic vero ut oblatum jam fide apprehendendum. Breviter: hic ut effectus, ibi ut causa.

XXI.

Vnde saepè fieri solet, ut effectum causam, & contra; causam effectum dicamus.

XXII.

Et haec sunt quae in Patrum lectione annotanda veniunt: Vbi tamen simul notetur, has loquendi formulas apud ipsos usitatas non parum incommodi apud rudiores cum primis attulisse, quod tamen non tam ipsis patribus, quam superstitioni quorundam tribuendum esse merito putamus.

XXIII.

Et meminerimus quoque non ex veterum qualibuscunq; sententijs articulos fidei cudendos esse: sed cum verbum Domini lucerna pedum nostrorum appelletur: illud nobis amissis & norma in religionis negotio merito esse debet.

XXIV.

Cognita igitur Pontificiorum sententia & controversia statu (ad quem semper obtorto collo trahendi sunt) facile erit praecipuos tantum fontes argumentorum, qui funditus Idolum illud Missificium evertent, ostendere.

## CAPVT III.

I.

Iam ad ultimum thesium nostrarum caput accessum facimus, in quo demonstrandum veniet, Missam Pontificiam non solum

lum fidei non ἀλόγως, sed cum ipsissimo divino verbo pugna-  
re: id quod sequentibus rationibus, forma syllogistica inclusis,  
evincemus.

## II.

1. Omnis cultus extra verbum & sine verbo Dei institutus,  
& quidem talis, cui tribuatur 1. propiciatio pro peccatis 2. pla-  
catio offense Dei 3. impetratio gratiæ 4. Item aliorum benefi-  
ciorum divinorum vanus ac impius est, neq. Deo placere potest.  
At Pontificia Missa talis est cultus. Ergo &c.

## III.

Majorem, licet clariorem meridiano sole, confirmat tamen  
vel unicus ille locus Matth. 15. 9. Et cum fides sit ex auditu  
verbi revelati, sine hac Deo placere impossibile est Rom: 10, 17.  
Item 14. 23. Hebr. 11. 6.

## IV.

Minor ex precedente disputatione manifesta est, in qua con-  
troversia status constituebatur. Histrionica enim illa represen-  
tationes nullum in scripturis mandatum habent, quin imò insti-  
tutioni & actioni Christi manifeste repugnant.

## V.

Nec movemur eo quod dicunt nonnulli esse institutionem  
Apostolicam: qua enim facilitate affirmatur: ea etiam à no-  
bis negatur.

## VI.

2. Sacramenta à filio Dei instituta in sacrificia transfor-  
mare, est ingens piaculum.

At in Missa Pontificia hoc fit. Ergo &c.

## VII.

3. Aliquid hominis testamento superaddere impium est,  
nedum filij Dei.

At Missa Pontificia hoc facit. Ergo &c.

## VIII.

4. Fingere aliud sacrificium propiciatorium pro peccatis  
abominanda contumelia est in Sacrificium Christi.

Atqui

*Atqui Missa Pontificia talis est Ergo &c.*

*I X.*

*Major patet ex Epistola ad Hebr: c. 7. 27. Item c. 9. 12. c. 10, 10. 12. 14.*

*X.*

*Neg. vero relevat eos exceptio qua dicunt: se non aliam hostiam, sed eandem offerre. Illam namq. funditus eadem Epistola iteratò sepius evertit c. 9. 25. 26. 28.*

*X I.*

*Subtilius Pighius: Christum quidem seipsum non offerre sepius, at non ob stare quominus à sacerdote offeratur.*

*XXII.*

*Verum epistola ad Hebr: manifeste ponit: Christus semel oblatus est v. 28. c. 9. item generalius c. 10. 18. Imò manifesta à v. 18. ponitur inter sacerdotium Leviticum & Christi: quod illi sepius obtulerint, hic vero semel oblatus est, & deniq. infirmitatis testimonium dicit esse quando eadem hostia sepius offeratur c. 10, 11. 12.*

*XIII.*

*Instant nonnulli: semel oblatus est pro omnibus at requiritur ut per Missa sacrificium singulis applicetur.*

*XIV.*

*Speciosum quidem est: sed scriptura nobis non dicit, applicationem fieri per sepius iteratam oblationem. Verum alia media, per qua hoc efficiatur, ostendit: nimirum verbum & Sacramenta.*

*XV.*

*Deniq. ad distinctionem recurrunt qua Sacrificium Missa incruentum à Sacrificio cruento in cruce peracto discernunt.*

*XVI.*

*Sed universa scriptura huius distinctionis ignara est, quin potius manifestè dicit: 1. sine effuso sanguine non fit remissio c. 9. 22. 2. iteratam oblationem iterata mors sequitur v. 26. 3. Testatoris mors intercedat testamento necesse est, ut per oblationem*

*pro*

pro peccatis vitam eternam consequantur qui vocati sunt  
Hebr. 9. v. 15, 16.

XVII.

Quantum igitur chaos impietatis alant Pontificij in hoc suo  
Missificio Sacrificio in propatulo est; nimirum Christum Iudaeo-  
rum instar quottidie crucifigunt ac blasphemant: quod vel au-  
ditu horrendum, imò abominandum est Heb. 6. v. 6.

XVIII.

5. Quicquid pugnat cum perpetuo Christi sacerdotio: Illud  
penitus execrandum est.

At Pontificia Missa est talis Ergo &c.

XIX.

Assumptio ex sequentibus patet: 1. enim nemo Christum pro  
peccatis offerre potest nisi ipse Christus seipsum Heb. 5. 4. & c. 9.  
14. 2. & quia Christus non tantum merito, verum etiam effica-  
cia Pontifex & Salvator noster est: ideo perpetuum eius Sacer-  
dotium Hebr. 7. ita describitur: Perfecte servare potest eos qui  
per ipsum accedunt ad Deum; semper vivens ut interpellat pro  
eis v. 25. Huc referantur testimonia c. 4. v. 14. 16. c. 9. 24. c. 10.  
v. 10.

XX.

6. Et ultimum argumentum tale erit: Quicquid obscurat &  
evertit media illa quæ ipse filius Dei instituit & adornavit ut  
per illa applicaretur & acciperetur meritum virtutis, & effica-  
cia mortis & passionis suæ ad remissionem peccatorum &c. illud  
ex agro & finibus Ecclesie prorsus exterminandum & abolen-  
dum est.

XXI.

Sed Pontificia Missa hoc facit: illam enim gloriam Christo  
detrahit, & ad mimicam sacrificuli actionem transfert; quin  
ex Sacramento Sacrificium facit, hoc est ex actione Dei huma-  
num & Diabolicum inventum &c. tum, quæ Christus sumen-  
tibus & manducantibus instituit: illi transferunt ad circum-  
stantes




*stantes spectatores, imò ad absentes atq; adeò contra illud Heb.  
9. 27. ad ipsos demortuos. Ergo &c.*

XXII.

*Hec cum vel Lybicus absurdiora sint monstris: Deo aeterno  
gratias agamus, quod nos è Romani Antichristi tenebris plus-  
quam Cimmerijs in clarissimam Evangelij lucem duxerit. Illi  
inquam Soli prapotentis sit laus & gloria in secula Amen.*

F I N I S.

DN. MARTINO SCVL-  
TETI PANNONIO, VIRO VIR-  
TVTE ET ERVDITIONE CVLTISSIMO, SA-  
nioris Philosophiæ & S.S. Theol. Studiofissimo adver-  
sus Lojolistas διάσκεψιν suscipienti,

 ευλογίας ἀγίας ἀσεμφεία πῖσιν ἀέξωμ,  
παμπόλλων δέεται ὄπλων, πολλαῖς τε ἀρωγῆς.  
ὄπλα δὲ ταῦτα πέλει ἐνὶ τῆγε τέτευγμένα δῆκη  
θεία, ὅπως χριστὸς λαοσὸν χεύματα μύθων.  
τὸνεκα νῦν ὀρθῶς δοκέει μοι ἢ ἔυμάλα ἔρδειν  
ρωμαῖκοιο δόλον διελέγχων ἀιρεσιάρχῳ  
κ, ὁ ρανίοιο λόγῳ δέον κήρυγμα φυλάσσωμ.  
Θάλλοις, σείο φέρων ὄφελθῶ ἢ χάσματα πάτρη  
Θάλλοις ἢ μετὰ σείο τὰ δέσκελα δέσφρατα θάλλοι.

Amico suo singulari αὐτοσχεδίασι scbb.

M. Nicolaus Bergeman Gardeleb. Marchicus.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c


Retro

VD17









657.  
82



IO XIV.  
CVND A  
MINIS CON-  
INI REVEREN-  
TISS. VIRI DN.  
CHEMNITII.

as capitibus,  
*turgiam appellarint sa-*  
*is, Missæ Pontificiæ osten-*  
tutienda

ÆSIDIO  
GESNERI,  
CTORIS ET PROFES-  
Soris Wittebergenſi publici, ad  
Anno 1603. in Templo  
publico proponit

*CVLTETI Eppe-*  
*annonius.*  
Meisnerianis Anno 1603.

